

omnibus habet eam, habet sapienciam, scienciam atque sensum. Nam sapiencia dicitur de celestibus, sciencia de mirabilibus, sensus de disponendis rebus humanis et mundanis.

Dicamus ergo cum regina austri de nostro sapientissimo Salomone: *Maior est sapiencia tua et gloria tua, quam rumor quem audivi, unum de mille non fuit nunciatum michi, beati principes tui et beati servi, qui stant coram te cottidie et audiunt sapienciam tuam. Sit Deus benedictus, cui complacuiſti et posuit te super tronum, ut iudicium et iusticiam factitares*¹¹⁶⁾. Iste est rex, de quo dicitur: *Rex David sedens in cathedra sapientissimus inter tres*¹¹⁷⁾, id est inter omnes reges, qui sunt in tribus partibus orbis terre, hoc est in Asia, Affrica et Europa¹¹⁸⁾.

(21) De isto sapiente potest dici illud Salomonis: *oculi sapientis in capite eius*¹¹⁹⁾, id est in Christo, qui est caput eius¹²⁰⁾, in quo respicit in omnibus factis eius¹²¹⁾, sicut ille Iudas virorum fortissimus Machabeus, cui apparuerunt quinque viri de celo ipsum in omnibus et ab omnibus protegentes. Duo circumstabant ipsum et tres in adversarios fulgura et iacula iaciebant¹²²⁾; duo qui circumstabant dominum nostrum, sunt Gabriel angelus et Iohannes, qui custodes beate Marie virginis asseruntur, tres alii pugnatores tres sancti strennui milites Ge[o]rgius, Demetrius et Martinus^{a)}¹²³⁾. Hic imperator noster a Deo habet gladium sicut ille fortissimus Machabeus, cui apparuit Ieremias cum ense dicens: *Accipe sanctum gladium munus a Deo, cum quo deicies hostes tuos*¹²⁴⁾.

(22) Ecce dedit dominus Salomoni nostro cor sapiens et intelligens in tantum, ut nullus ante eum fuerit similis nec post eum resurrecturus sit¹²⁵⁾.

(23) Et quia in persona sua magnifica ista tria resultant, scilicet dignitas, potencia et sapiencia, tria debemus ei: pro dignitate honorem, pro potencia timorem, pro sapiencia dileccionem, ut mille aque non

a) *Vielleicht verderbt aus Mauricius, vgl. Anm. 123.*

¹¹⁶⁾ 3. Reg. 10, 7—9. ¹¹⁷⁾ 2. Reg. 23, 8. ¹¹⁸⁾ Vgl. prepotens imperialis Europa, *Matth. Paris. MG. SS.* 28, 212, Z. 36 (*Reg. Imp. V.* 3216). ¹¹⁹⁾ *Eccle.* 2, 14. ¹²⁰⁾ *In Übereinstimmung mit den Bibelkommentaren, vgl. PL.* 219, 107. ¹²¹⁾ Vgl. 2. Macc. 8, 2. ¹²²⁾ 2. Macc. 10, 29—30. ¹²³⁾ Demetrius, Georgius und Mauritius (oder Mercurius oder Theodorus) retteten 1098 die in Antiochien schwer bedrängten Kreuzritter: *Gesta Dei per Francos* (ed. Hannover 1611) S. 64, 121 und 522. An letzterer Stelle auch die ausdrückliche Beziehung auf die Makkabäer; vgl. *AA. SS.* Oct. 4, 203—205. ¹²⁴⁾ 2. Macc. 15, 16. ¹²⁵⁾ 3. Reg. 3, 12.